



Forum Ecclesiasticum

In Quo Jus Canonicum Universum, Librorum Ac Titulorum Ordine Per Quæstiones Et Responsa, Tam Canonistarum Veterum & Recentiorum, quàm Legistarum, in iis, quæ Utrique Juri, Canonico Et Civili Communia Sunt, Authoritate stabilita, Methodo clara & facili explanantur

Leuren, Peter

Moguntiae, 1720

Quæst. 271. Quinam in specie repellantur ab accusatione Matrimonii, & consequenter à testificando contra illud vel pro eo.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73973](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73973)

interesse habeant, Gonz. *h. t. n. 3.* Reiff. *n. 7.* Wiestn. *n. 15.* Arg. *c. 1. de his qua vi metusue caus.* ubi matrimonium irriuum ob professionem religiosam impugnantur monasterii Priorissa & sorores.

3. Resp. tertio: Omnes idonei ad accusandum matrimonium etiam admittuntur ad testificandum contra matrimonium vel pro illo, modò aliàs apti ad testificandum, sive agatur de matrimonio coniungendo, sive de eo dissolvendo. Pith. *n. 3.* Wiestn. *n. 17.* Reiffenst. *n. 14.* cum communi. Arg. *c. licet de testib. & attest.* Unde licet pater testis in aliis causis filii tam civilibus quàm criminalibus esse nequeat, *l. testis ff. de test. c. testis idoneus 4. q. 3.* tamen is, uti & fratres aliique consanguinei testes esse possunt in causis matrimonialibus filii & consanguinei. AA. iidem iuxta *c. videtur h. t.* idque quia non solum præ aliis maiorem consanguinitatis & affinitatis ejusdemque distantie quò ad gradus notitiam habere, sed &, ut cum Engels. *h. t. n. 8.* Wiestner. *l. c. incestarum nuptiarum probum* in sua familia non tolerari credantur, Limitat id ipsum Pith. *l. c. not. 3.* ita ut pater non censeatur testis idoneus sed suspectus, ubi Sponsa filium Sponsum, aut contra Sponsus Sponsam nobilitate & divitiis multum superat. unde Abb. *h. t. n. 6. in fine* dicit non posse dari certam regulam, an & quando credendum sit testimonio parentum in causis matrimonialibus filiorum, sed id relinquendum arbitrio Judicis, ut ex circumstantiis dignoscat, quandonam hoc testimonium sit suspectum. Item licet idem esse non possit testis & accusator in causis propriis aut etiam aliis, potest tamen esse in causis matrimonialibus, saltem quando agitur de consanguinitate & affinitate. Pith. *l. c. not. 4.* Reiffenst. *h. t. n. 15.* Wiestn. *n. 18.* iuxta *c. 5. & 7. caus. 36. q. 5.* qui tamen id cum Abb. *in hanc rub. in fine.* Arg. *c. in una, de Sponsal.* intelligendum in eo solum casu censent, quò accusator non est proprie talis matrimonii, sed solum denunciator impedimenti, ita ut, si Judex ex officio ad denunciationem factam inquirat, is, qui denunciavit, simul esse possit testis impedimenti denunciati. Porro in Germaniæ provinciis ex privilegio vel consuetudine nobiles & illustres personas ad personaliter testificandum compelli non posse, sed posse id facere per literas scriptas consignatas & transmissas, ex Gail. *l. 1. obs. 101. num. 4.* asserit Wiestn. *num. 19. in fine.*

Quest. 271. Quinam in specie repellantur ab accusatione matrimonii, & consequenter à testificando contra illud vel pro eo.

Resp. Ab utroque (uti & in omni alia accusatione) repelluntur, Primò qui turpis quæstus gratià accusant (idem est de testificantibus, utpote qui etiam in causis matrimonialibus debent esse omni exceptione majores, ut gl. *in c. 1. de consang. & affinitat. v. majores.* Alex. *in c. insuper. h. t. n. 4.* Pith. *h. t. n. 15. in fine*) sive qui pecunià ad accusandum inducuntur, eamque exigunt, ut ab accusatione desistant, quia falsò & malitiosè accusare præsumuntur iuxta *c. significante, h. t.* & gl. *ibid. v. eod.* Abb. *n. 4.* Pith. *l. c.* qui etiam *n. 5.* cum Abb. quòd Judex in hoc casu ex officio suo parte non opponente possit accusatores tales repellere. Secundò repelluntur, qui, dum denunciations seu proclamationes fierent, impedimentum non mani-

R. P. Lenr. Jur. Can. Lib. IV.

festarunt; eò quòd manifestationem differendo in tempus matrimonii jam contracti, illud calumniosè accusare præsumuntur. Pith. *h. t. num. 6.* Wiestn. *n. 16.* iuxta *c. in tui h. t.* nisi tamen propter absentiam, infirmitatem aliamve justam causam ignorasset denunciations factas, vel impedimenti eo tempore ignorati notitiam postea prius se habuisse fidem facerent juramento interpolito, Wiestn. *l. c.* cum Barb. *in c. ult. h. t.* cujus de cætero ignorantie proclamationum (uti & aliorum, quæ publicè fiunt in civitate) iustaque de ea præsumptionis sequentes casus ponit Pith. *h. t. n. 7. not. 3.* nimirum dum quis tum temporis existeret extra diocesium, vel quia tunc erat in ea ætate, aut etiam in eo defectu usus rationis, ut gesta non intelligeret; vel etiam alia de causa dum temporis non admittebatur ad accusandum, V. G. quia etat excommunicatus. Tertio secundum jam dicta, quæ quidem ab initio gravi metu coacta contraxit, postea tamen copulam carnalem admisit, iuxta *c. insuper. de testib. & Barb. ibi. n. 3.* Gonz. *n. 3.* Pith. *n. 14.* quarto, qui personaliter absentes per literas accusant. *c. per scripta 2. q. 8. c. nobis. h. t.* idque ita dispositum ex ea ratione, ut excludatur occasio facilius calumpniandi, dum accusatores liberiùs possent calumpniari, si absentes per literas possent accusare, ita Pith. *n. 11.* qui tamen addit, quòd licet talis accusatio & testificatio facta in scriptis seu per literas non sit sufficiens sine aliis adminiculis ad ferendam sententiam, pariat tamen aliquam præsumptionem; quin etiam in se valere & sustineri posse ex privilegio & longa consuetudine, qualiter, ut dictum, competit id in Bohemia & Austria nobilibus, Baronibus &c. ut non cogantur personaliter accedere Judicem ad testificandum, sed satis sit per scripturam sub sua fide sine juramento corporali depositionem manu propria subscriptam & obsignatam Judici transmitti; quòd repellitur testis de auditu, si is, à quo auditur, & in cujus testimonio se fundat, tanquam inhabilis ad tale testimonium repellatur. Pith. *n. 8. in fine* cum Abb. *inc. ult. h. t. n. 10.* & Canisio *ibid. n. 2.* Cujus contrarium est in accusatore, qui admittitur ad accusandum, etiam si auctor, à quo auditur impedimentum, admitti nequeat. Pith. *l. c.* iuxta *c. licet 47. de testib.*

Quest. 272. In causa matrimonii quis sit Judex.

1. Resp. primò in genere: Causarum matrimonialium cognitionem & definitionem spectare ad forum & Judices ecclesiasticos solos, est unanimes DD. Catholicorum consensus iuxta *c. tuam, de ordine cognit. c. lator. & c. causam, qui fil. sine legit. decilumque in Trident. sess. 24. can. 12.* hisce expressis: *si quis dixerit, causas matrimoniales non spectare ad Judices ecclesiasticos, anathema sit,* citque ratio, quòd matrimonium sit unum ex septem Sacramentis, adeoque res spiritualis; de rebus autem & juribus spiritualibus controversias in judicium adductas pertractare est solius potestatis ecclesiasticæ iuxta *c. quanto de judiciis, & c. si Judex. de sent. excom.* Porro idem est de quæstionibus ortis super Sponsalibus de futuro, cum tangant matrimonium; illud autem tangentium idem, quod illius, est judicium, Arg. *c. translato. de constitut. & Clem. dispendiosam, de judic. & Clem. v. matrimoniis,* ita tenent gl. *in cit. Clem. v. matrimoniis,*

S 2 Anchar